



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De humilitate ad Deum. Cap. XXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

Act. 13. 17

Regula
tres omni-
bus Præla-
tis obser-
uandæ.Eccli. 32, 1
1. Thes. 1, 7
Luc. 22, 27

æquales nobis, alij superiores, alij subditi. De æqualibus plana est regula prædicta. De superioribus addit Apostolus; scilicet, Obedite præpositis vestris & subiaccere eis. Obedire pertinet ad impletionem iussionis eorum, subiaccere & humiliter eis subesse; quasi vicariis Dei, omni subiectione secundum Deum. De prælatis ergo tres regulas nota: Prima Ecclesiast. Rectorem te posuerunt, esto inter illos quasi vnus ex eis. Secunda ad Thessalonicen. Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos, &c. Tertia Luc. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. secundum has tres regulas rector inter subditos sit quasi vnus ex illis communis in victu, in vestitu, in labore, & in aliis exterioribus. Sicut paruulus in medio eorum; vt ex hoc quod præest eis non putet se sanctiorem, vel aliis sapientiorem vel digniorem: sed viliorem & obligatiorem in reddendo rationem pro se & pro illis. Sit quasi ministrans in medio eorum, infirma eorum portando & curando & exemplo præcundo.

De humilitate ad Deum.

CAP. XXXII.

Mich. 7, 9

AD Deum debemus esse humiles. Primò vt ipsum esse Deum ac Dominum & iudicem nostrum humiliter cognoscamus, & ei in omnibus obediamus, sicut serui domino suo, & opus factori suo: & si peccauerimus ei, vt citò & dignè pœniteamus, & satisfaciamus, & emendemus. Secundò, vt flagella eius humiliter toleremus, & non remurmuremus correpti: sed iustum eius iudicium commendemus, & nos correptione dignos agnoscamus, dicendo: Iram Domini portabo, quoniam ipsi pecca-

peccavi. Tertio, ut de beneficiis eius non extollamur: sed agnoscamus quod non pro merito nostro, sed pure pro sua bonitate dilexit nos, & elegit nos, & vocavit nos, & iustificavit & magnificavit nos. Vnde debemus ei gratias pure & humiliter referre, & nihil nobis de bonis eius ascribere arrogando. Vnde Psalm. Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Rom. 8, 20

Psalm. 113, 9

De triplici gradu humilitatis.

CAP. XXXIII.

LICET autem ex prædictis possint gradus humilitatis discerni, tamē ut magis in promptu sint ad intuendum, nota tres gradus humilitatis, licet multum inter se distantes. Primus est, ut homo se, quid est, id est, vilem, infirmū, inopem boni, vitiosum, peccatorem, & si quos alios defectus habeat, agnoscat & sciat: & non mentiatur sibi esse se maiorem quacunque dignitate fulgeat, & non eleuet se supra se, quasi in ventum vel super alios insolenter; nec vanas laudes hominum, vel honores quærat, & si aliquando delectat eum aliquod istorum, semetipsum redarguat & castiget quasi deceptum, & in quo veritas non sit. Vnde Psalm. Filij hominum, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendaciū? Cum enim Deo omnia possit, ut quid non fecit nos æquales Angelis in gloria, nisi ut ipsa depressio nostra humiliet nos, ne eleuemur sicut seducti & seductores Angeli, & corruam⁹ & pereamus? Inde est, quod cum Deus in baptismo tollat penitus reatum peccati originalis, poenā tamen corruptionis non tollit in hac vita: ut semper maneat nobis memoriale humiliationis, quocauti simus ne superbiamus sicut primi parentes

Primus gradus suā agnoscere vilitatem.

Psalm. 4, 3

parentes